


funditur, quæ rem definit, genera dispertit, sequentia adjun-  
git, perfecta concludit, vera & falsa dijudicat, Disserendi ra-  
tio & scientia, ex qua cum summa utilitas existit ad res pon-  
derandas, tum maximè ingenua delectatio & digna sapientia.



*Casmannus in philosophiâ Christianâ pag. 134. &  
135. neotericorum elogia, quibus Logicam  
ornarunt, hunc in modum collegit:*

**N**ulla est disciplina, quæ magis excitet, juvet, acuat inge-  
nium hominis, quàm Logica. Nulla est ars, quæ judi-  
cium hominis, hoc est, dispositionem mentis ad solidè cogi-  
tandum & percipiendum, quid verum, quid falsum, quia  
consequens, quid verò inconsequens: quid ordinatum, quid  
verò confusum sit, dexterius informet ac firmet.

Hæc dirigit cogitationes hominis, ut rectè cogitent, inve-  
niant, disponant, judicent. Hæc facit, ut ordine doceas &  
scribas, quæ rectè cogitasti. Hæc facit, ut bene discas, quod  
alter bene te docet. Oportet enim intellectum discantis con-  
formari intellectui docentis, per normas Logicas. Per Logi-  
cam non solum scimus, sed etiam nos scire scimus. Hinc illa  
inæstimabilis in intellectu lætitia & voluptas, quam gene-  
rat Logica dubitationum optima medica. Hinc sublatâ du-  
bitatione per Logicæ medicinam, constantia in veritate, ne  
facilè ab eâ seducaris. Logica facit, ut ab aliis tractata dextrè  
retexas, & penitus introspeciendo tractationis intimam  
essentiam, rectius intelligas. Hæc tibi ad omnis generis eru-  
dita colloquia & collationes manu ductio.

Hæc sola facit, ut possis intimam scientiam ac habitum  
reliquarum disciplinarum tibi acquirere; quia Logica est  
magistra disponendarum omnium artium, & hac ratione  
suæ ipsius genitrix & formatrix. Logica te sola regit, ut com-  
parato scientiæ alicujus vero habitu, secundum eum  
rectè opereris, hoc est, præcepta cognita ad  
usum in vita utilem traducas.